

809

*Urbis Venetiæ
tiarum situs
descriptio.*

dia ejectos, apud hostem fuisse: quum interim Valentinus amborum frater Rempublicam domi administraret: Et ut atrocissimi belli ratio factius intelligi possit, pauca de Venetiarum situ, præter illa quæ proximo libro a nobis tradita sunt, expediam. Sedent Venetiæ, ut alio loco diximus, in insulis parum inter se distantibus, quas alterius maris æstus æquis pene intervallis discriminat, ita tamen, ut littus ad meridiem inter ipsum pelagus & stagna quadraginta passuum millia porrectum, in decem circiter scindatur vada: littoraque in insularum speciem sic abrupta tunc passim Veneti incolebant: quorum ad meridiem primi Brundulenses: post hos Clodiani, Pellestrinenses, Albiolani, Medoacenses, Olivolenes, ubi nunc est Patriarchica fedes. Alii a mari introrsum recedentes media stagna tenebant: quorum primi Rivoaltini, qui nostro tempore frequentia & fulgore sui nominis cæteris locis tenebras induxere. Pipinus objecta hinc classe, ut hostes maritimo cursu arceret, appareretque omnem commeatus spem ablatam, terrestribus copiis insulas continentis proximas invasit, ac Brundulensis, Clodianis, Pellestrinensisque partim suis sedibus metu ejectis, partim in potestatem redactis, in Albiolanos duxit. Ea oppugnatio cum præter spem omnium aliquantis per illius conatus remorata esset, Valentinus interim Dux & Medoacenses cum liberis & rebus, quæcunque ea trepidatione asportari potuerunt, in Rivumaltum abiere, non solum privatas secum fortunas, sed summum etiam Magistratum Majestatemque omnem Reipublicæ eo traducentes: ubi majore quodam rerum successu perpetuisque incrementis, jā inde ex quo illic esse cœpit, ad hunc diem residet.

*Ducalis ser-
des in Ri-
vumaltum
translata.**Pipinus Ve-
netis omnia
admit præ-
ter Rivum-
altum.**Medoaci
veteris de-
scriptio.*

Sed locus postulat, ut de Medoaci vetustate nunc pauca referam. Omnes fere qui de rebus Venetis aliquid scriptum reliquere, affirmant Medoacum illud, quod nunc ex urbe Clodiæ introrsum navigantibus ad lœvam juxta portum eodem nomine nuncupatum occurrit, non vetus esse, quod prisci Veneti condidere, unde in Rivumaltum Gallico tumultu concessum diximus; sed veteris illius everisi monstrari ho-